

NOBILISSIMO, CLARISSIMOQVE VIRO DOMINO D.

NICOLAO MANDAT,

REGI A SECRETIORIBVS CONSILIIS, MAGNO REGIÆ DOMVS PRÆFECTO, ET IN SVPREMA COMPVTORVM CAMERA MAGISTRO, &c.

NISI ſpectata dudum tua ſingularis in omnes humanitas foret, (Vir non Maiorum imaginibus tantùm illuſtris,) vererer equidem te, in ſummis occupatum rebus, intempeſtiuâ oratione interpellare: ſed reſpiciens illam animi tui moderationem, quæ nullum vnquam à ſuo ſummouit acceſſu: has difficillimi ſtudij primitias ſincero cultu virtutibus tuis conſecraturus acceſsi: Dignum quidem meâ, non tuâ fortunâ munuſculum. Admonuit etiam me, ipſius tabellæ facies, in quâ non adumbrata modò nobilitatis, ſed illius, quæ in te ſupra cæteras micat, expreſſa ſigna virtutis, elucebant. Geminæ ſcilicet illæ roſæ, non tam purpureo Veneris ſanguine, quàm tuæ benignitatis moderationíſque rubentes fulgore; quæ dum indomitam præcipitis apri ceruicem domant, leoninam animi proſerpentis increſcentiſque feritatem ſecludunt. His tuis ſummis dotibus multùm, ſed benignitati plurimùm me debere profiteor; quæ quò longius ſe ad alienas porrigit vtilitates, eò hominis & humanitatis gradus omnes euincit. Cuius nexum, tibi deuotus animus inire non recuſat, & in haciucunda ſeruitute, legitimam libertatem ponit; quò arctiùs hic ſe conſtringit, eò faciliùs ſeipſum abſoluit; agnoſcendóque liberaliùs æs alienum ſuum facit. Itaque magnitudine tuorum beneficiorum velut attonitus, quia loqui non poteſt, illam eximiam pietatem tuam, religioſa fide ſilentij remunerat, atque inde conuerſus in vota, ſuos cælitum aris annos, quò vita tua ſit productior deuouet, enixéque flagitat, nomen tuum nobili famâ, nec non apud poſteros, æternùm duraturâ laude celebrari.

VALE.

Tibi addictiſſimus I. GAVOIS.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XIX. FEBRVARII,

M. LEONE LE TOVRNEVRS, Doctore Medico, moderatore.

An ideo Mulieri ſanguis redundat, quia ad gignendum alendúmque fœtum nata? 838

A LTERA generis humani pars mulier, tantò videtur eſſe præſtantior viro, quantò vtilior eſt ad perficiendum opus generationis. Maximam proinde illi facit iniuriam, quiſquis monſtrum eſſe putat; perfectum ſiquidem animal eſt, eóque maiori curâ & ſtudio naturæ procurandum, quò plus confert ad æternitatem ſpeciei, cuius, ipſa ſummè eſt appetens. Nempe, non ſorte mulier naſcitur, aut præter intentionem naturæ mares facere diſcentis: eſt enim ex primario illius inſtituto, & cum maris imminutioni non debeat, quod ipſa generetur, in eo rurſus à mare diſcrepat, quòd præterquàm plures habet à naturâ prorſus diſſimiles generationis particulas, eſt quoque ad gignendum alendúmque fœtum nata.

M VLIERI, quia debebat fœtum in ſe ſe gignere, eúmque tùm intra, tùm extra vterum, plenè & perfectè alere, ea neceſſaria fuit alimenti vbertas, quæ ſine proprio corporis diſpendio, fœtui formando nutriendóque ſufficeret; verùm non ità facilè poterat, neque tantâ copiâ humor nutritius à muliere ſuppeditari, niſi diſſimilem viro temperaturam eſſet ſortita; eam itaque totius corporis conſtitutionem obtinere debuit, quæ omnium maximè foret ſanguini cumulando accommodata. Eiuſmodi autem eſt, quæ vnà cum moderato calore, humoris continet quamplurimùm; neque verò frigidæ vel imbecilliori mulieris naturæ tribuenda ſuperflui vtilitas ſanguinis: vt enim ex eo dici nequit mulier eſſe imperfectior, quòd minùs calidam, viro, conſtitutionem eſt nacta, ſimili prorſus ratione, illam, quæ redundat ſanguinis copiam, ex caloris infirmi inopia oriri veriſimile non eſt.

P ORRO ſanguis, qui ex vtilis alimenti reliquiis mulieri redundans, incertâ periodo excernitur, eiuſdem planè conditionis eſt cum eo, qui venis continetur pro alimento corporis. Errat igitur grauiter, nec ſatis explorata habet generationis noſtræ principia, qui noxium eſſe cenſet & maligna qualitate præditum: ſola enim quantitate ſuperfluit, & cum ab humidiore calidáque iecoris temperie generetur, vberiori longè copia, quàm ad partium alimoniam eſt opus: ille non vaſis ſolùm maioribus, ſed hepati etiam grauis fluit in vterum itineris conſuetudine, vbi reſeratis venarum oſculis ſtillat guttatim, atque ſi fortè molli & ſubacto vteri gremio ſemen exceptum eſt, paribus cum eo viribus congrediens, vel fœtui conformando aptam præbet materiem, vel iam formato vbertim alimentum ſuppeditat, toto tempore geſtationis.

F IT ergo ex accidenti, vt quóque menſe extra vterum fluat ſanguis, menſtruâ vocatâ purgatione: nempe, cum in fœtus nutritionem non abſumitur, ille copiâ & calore vteri venas diſtendit, viámque ſibi in ceruicem parat quà dimanet, non ante verò fluere deſinit è locis, quàm imminutâ circumciſáque redundantiâ, quod reliquum eſt corpori prorſus neceſſarium, venæ retineant. Tum menſtrui ſanguinis nihil amplius erumpit, ſed ea, quæ ad vterum pertinent, ora vaſorum ſponte ſuâ conniuent, donec interuallo quodam temporis, tantùm denuò accreſcat, quantùm antea profluxit, ſimilíque naturæ impetu per vterum deponatur. Non eſt itaque quòd quiſquam aliam quærat huius circuitus cauſam, præter redundantiam ſanguinis; vt enim iis etiam mulieribus contingat, quæ exiguum congeſſere, non eſt proinde illius cauſa euacuationis in lunæ curſum referenda; cum enim nullum eius motum exactè ſequatur, nulla ſit ipſius ſtata, certáque periodus; reliquum eſt, vt id totum tribuatur naturę conſuetudini, quæ eâdem cum excrementis ratione, vbi tantùm congeſtum eſt, vt id corpori moleſtiam faceſſat, ſingulari planè ſolertiâ foràs protrudit.

V ERVM naturæ parùm fuiſſet, vacuæ mulieri vias expedire, quibus ab inutili & ſuperfluo humore ſe ſe liberaret, parùm quoque, familiarem, fœtui vteri latebris incluſo, victum inuenire, niſi & recens edito alterum eiuſdem generis è matre comparaſſet: oportebat ſiquidem tenellum atque delicatulum infantem, qui ſolidiori cibo adhuc foret impar, eo alimenti genere ſuſtentari, quod non ità multùm à menſtrui ſanguinis conditione eſſet ſejunctum. Eiuſmodi eſt, quod ex redundanti functionis vbertate parant mammarum vbera, ſoli mulieri conceſſa, non ornandi cauſa pectoris, ſed liberorum alendorum: hîc eſt fons ille ſanctiſſimus corporis, generis humani educator, in quem, qui in vteri penetralibus ſanguis fœtus opifex, corpus omne finxerat, aduentante iam partus tempore, per communes venarum ductus ſeſe profert: illic ſpiritu multo & calore exalbeſcens, ad fouenda vitæ luciſque rudimenta præſto eſt, & recens natis notum & familiarem victum offert.

Ergo ideo Mulieri ſanguis redundat, quia ad gignendum alendúmque fœtum nata.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS GAVOIS, Pariſinus. A.R.S.H. M.DC.XXXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Heliot.
M. Ioannes Vacherot.
M. Claudius Seguyn Prof. Reg.

M. Ioannes Baptiſta Ferrand.
M. Simon le Lettier.
M. Sebaſtianus Rainſſant.

M. Georgius Arbaud.
M. Carolus Bouuard, Primarius Chriſtianiſſ. Regis Medicus.
M. Quirinus le Vignon.